meam; cæna pattem frons exporrecta faciet. Alterius defectum humanitate tuâ supplebis

Tunc meæ, siquid loquar audiendum
Vocis accedet bona pars, et ô Sol
Pulcher, ô laudande canam, recepto
Hospite felix.

Dabitur denique opera ne te consilii poeniteat, priusquam ad te reversus et Leidamo inter grandes ~~amicos~~ animas expendere caperis, quam te sterili voluptate omnium abjectissimo impenderis, qui bono publico deberis, Vir incomparabilis et omni quanta nos sequetur posteritati, Veni tamen et vale si venire vis, et si me valere, Veni

Hagæ Com. XX. Jun: CIƆIƆCXXXIV

Smithio. Amplissime ac Doctissime Domine. (198).

Pro tot lapidum accuratissimis figuris, quibus inopiam musæi mei misertus, unâ simul operâ ditare me voluisti, primo dem me debere fateor, quas nunc gratias persolvo. persolvo autem serius meo more. fortasse quidem, et si Dijs placet ne olim falsò prætexuisse credar occupationum mearum assiduos rot~~atus~~, silentio, absque illæ essent, inter amicos non ferendo: Sed citra jocum, serius, dum amici qui has tradet profectionem expecto, antiquarii nimirum pro suo captu, at qui ex affectu erga hæc studia, et munuscula tua verbis ornare posset, et quod calamo non valeo, quanti apud me sint illa pressius indicavi, cum sui pretio, tum quod a te profecta. ~~indicaret~~. Abeuntem itaque quam paucissimis verbis onero. cæteris quæ meo nomine et rogatu adjiciet fidem ut præstes postulo qualem legato habeas. Arcis Swissenicæ Indicem, quamquam non illi usui quem olim conceperamus, avidè expecto, et si quid porrò hujusmodi rerum aliunde occurret, cujus me idoneum arbitrum censebis. Nam ut possidere hæc talia sortis meæ non est, ita imaginibus, quæ ab amicorum humanitate [illegible] sunt ἐκ μέσσ me, neque tamen mediocriter oblecto: sicut ij quibus adire exteras regiones non obtigit, adeunt eas sedendo tamen, et in compendiis Universi, Mappis tabulisque peregrinantur. Pro qualicunque in studio juvare me ut pergas, iterum te amice Smithi iterumque rogo. Hagæ Com. IIX Cal: Jun: CIƆIƆCXXXIV

Ius

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 65v-66r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/919

In involucro.

Amicum Martinium, cui has curandas destinaveram elapsum socordia meorum tantum hodie recivi. Tu, ut caetera silentij, hanc moram quoque in bonam partem accipe, et me ama.

Pontano. (199).

De Poematis tuis, Vir Doctissime, lepido et eleganti libello pridem tibi debeo, quod summae quibusque literaturae hominibus profitear, quoties me sui et Musarum, quâ tu humanitate, participem faciunt. Quod quam seriò a me dicatur, non quam serò, attendas rogo. Ego enim ille, quem Dij isti mortales tanquam pilam habent, talis vivo, ut qui praesentibus amicis nullâ parte officiorum deesse soleo, absentium plerumque cogar vix videri memor, eorum certè qui epistolis affectum metiuntur. quibus cum vacare per hanc aulae perpetuam incudem, nisi tumultuariò et carptim non liceat, a te hoc imprimis postulo ἐκ τῶν τοιούτων esse ~~nolis~~, nec de silente quam loquente sequiorem opinionem admittere, sed quocunque gestu incedam, sic statuere te mihi in pretio non vulgari ~~esse~~ sed eo semper loco quem sibi candor ille tuus, et insignis eruditio dudum asserunt. Vale. Hagae Com. 16. Kal. Iunii CIƆIƆCXXXIV.

Barlaeo. (200).

Quanti apud exteros sis, ut Auster olim et Occidens fassi sunt, primus fortasse Septentrio profiteri coepit, jamque non ut olim foras nominis tui fama, sed foris domum trans mare currit. Ionstoni Elogium, de quo loquor sive videris, sive segnior Vander Burghius fuerit, cui permittendum tradideram, distentus ipse negotijs ab hoc genere amoenitatum alienissimis, gratulor sane peregrini vatis plausum, et in eo ~~[illegible]~~ totius Scotiae, ubi ceteris extare creditur; quanquam, meo judicio, ut inter maximi Psalmistae posteros censeatur, nondum absolute meruit. De Te Barlaee, quem nemo Scotus, nulla Scotia satis laudet, libentius loquor, et quid, post Rhenobergae pluvias, quas bini ad me amici misere, rerum pangas rogo. Illud verò maxime, ne offensus nimium frequenti silentio meo, ad quas humanissime toties ad me dedisti

et